

Andreas Wenzel

Carmina, De Fragilitate Rerum Et Voluptatvm Hvmnarvm ...

Pragae: Melantrichus, 1581

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn895418754>

Druck Freier  Zugang



DIVO
RVDOLPHO



ROM. I MP.

1-4
202

Compt

2
11

A Schriftkoben
s. d. A.

100 9/10 in Messel
am in Strauch einget.


1. in Kisten
4 " "

nr - 1366/2¹⁻⁴

* XXXVIII. Qu. 72

* 6676

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



Carmina,
DEFRAGILITA-
TE RERVM ET VOLVPTATVM HV
MANARVM.

Ad.

*Diuum Rudolphum II. Rom. Imperatorem sem-
per Augustum.*



Scripta à

M. Andrea Vuencelio.

PRAGÆ.

EXCVDEBAT GEORGIVS MELAN-
trichus ab Aventino.


ANNO DOMINI M. D. LXXXI.

W. de Schöberg

Diuo.

RVDOLPHO II,
ROM. IMPERATORI SEMPER AV-
GVSTO.

O Sacer Imperij Rex Regum Maxime, cunctas.
Cum Ioue qui terras DIVERVDOLPHE, regis.
Suscipe pacato, quo suscipis omnia, uultu.
Carmina diuersis edita pauca locis.
Sunt hæc parua quidem, nec magno Cæsare digna,
Munera parua boni consule, maior eris.
Maxime, sic magni mensuram nominis imples.
Si sit, parua boni consuluisse satis.



. Cæsar. Maiest: subiectis.
M. And: V uence:

1936 5.1256-59

ILLVSTRI ET LIBE-
RO BARONI ET DOMINO
VVOLFCANGO RVMPHIO A VVIEL-
ros: Sacræ Cæsareæ Maiestatis Cubiculario & Consi-
liario, Domino et Musarum Patrono benigniss;
omni obseruantix studio colendo.

O RVMPHI generose Cultor almæ
Virtutis, Clariæ Patrone sortis.
Cui Cæsareum Cubile curæ est.
Non vestræ celebrata Stirpis acta.
Non insignia non genus vetustum.
Non iactas a tauosq; auos potentes.
Cum conuiuia lautiora sæpe.
Ponis nobilibus tuis amicis.
Sed fontis latices ab ore sancti.
Fundis, qui Dominum poli supremum.
Sanctæ & Relligionis acta monstrent.
Post hæc Thespiades decente Musas.
Excelsæ cumulo uehisq; laudis.
Quod septem patet hinc, libens amore.

Cum Phæbi Cythara colas sorores.
Hinc Patrocinio tuo salubri.
Et nostrum foueas, rogo libellura.
Promta ut Rex capiat manu supremus.
Romani Imperii RVDOLPHVS Heros.
Ex illo, graue nî, caduca sortis.
Humanæ leget, & negociorum
Quæ moles, fragili quòd illa cursu,
Mox collapsa ruat, volente fato.
Hunc Regi facilis feras libellum,
Sic Virtus tua notior, vocabit
Quo cunq; Aonias Apollo musas,
At si non fluido nitoræ venæ.
Hæc contexta vides. amice vatum.
Ieiunæ veniam dabis Thaliæ,
O Rumphii generose cultor almæ
Virtutis, Claræ Patrone sortis,
Cui Casareum Cubile Curæ est.

ELEGIA
DE FRAGILITATE
RERVM ET VOLVPTATVM
HVMANARVM.



Aeruleis Titan abscondere Tethyos un-
dis

Ignе coruscantes incipiebat equos,
Lunaq; fraterno sumens de lumine lu-
men

Prodibat niueis conspicienda rotis:

Cum solitum repetens cura vigilante laborem,
Pieridas reuoco sub mea tecta Deas.

Qua musco cinctus gratisq; paludibus vluis

Neuela, piscoso vortice spargit aquas,

Et regit Arctōas, Henerum Dux inclytus vrbes

Bucephali in Clypeo qui gerit ora nigri.

Cumq; dabam Musis operam, studijsq; vacabam,

Mentibus occurrunt seria multa meis.

Qua Doctore Paro didici nouus hospes in vrbe,

A Duce quae CRACO condita nomen habet,

Cum faceret studijs Rex Sarmatis ocia, finem

In quo IAGELLAE gloria stirpis habet.

T*unc animo voluens facundi munera Phœbi*

Cogito natura parturientis opes.

Quid fremitus tristes imitata tonitrua gignat,

Horrida quid multa fulmina luce creet:

An subeant terras toto cum corpore stella,

Quid generet longae flammea signa trabis.

B

Vnde

Vnde Cometa facem capiat, quid procreet illum,
Hauriat unde suas discolor Iris aquas.
Vnde trahat varias Iunonis nuncia formas,
Nuntia curuato conspicienda sinu.
An niteat paruis celi plaga lactea stellis,
Lumina quas minimè nostra videre queant.
Iuppiter an summus partem signauerit illam,
Plurimus ut cecidit, se feriente, Gigas.
Quid pariat faustos terris sitientibus imbres,
Arua quibus satiant arida sole sitim.
Quid creet & rorem iucundaq; semina manna,
Sub Libani summis crescere sueta iugis.
Quid generet nubes diuersas lumine Solis,
An possint motu non variante regi.
Quid cieat nebulas, matutinamq; pruinam
Grandinis, & gelida qua sit origo niuis.
Quid moueat ventos varios, terræue fragores,
Aequora cur salso vasta sapore fluant.
Et fluuij currant fontesque perhennibus vndis,
Ortaq; non vno flumina multa loco.
Quæ quondam plures magni sermone Pelasgo
Omnia prestantes explicuere Viri.
Machina sit quanto mundi constructa nitore,
Quæ tamen in cineres, igne soluta, cadet.
Post mihi cura subit Charitum, septemq; Sororum,
Cur illis non sit, qui fuit ante, decor.
Ingenium quondam rutilo prestantius auro
Concidit, & digno prorsus honore caret.
Sola sed Ascreis hæc restat gloria Musis,
Lucida quod nostrum nomen in astra ferant.

Vivat

Viuat ut egregyū studiorum fama patroni,
 Hoc pia florenti laude Thalia facit.
 Haurit opes ignis, rapit illas perdita furum
 Turba, sed Aönidum laus generosa manet.
 Vincit opes ergo Musarum fama, vetustas
 Quam nec edax abolet, flamma, nec vnda cadens.
Hac equidem cupido meditabar pectore solus,
 Donec oborta Poli sidera pulchra forent.
 Plenius in calis & flammea signa micarent,
 Et strepitum Galli vox odiosa daret.
 Tum tacite somnus lassis obrepit ocellis,
 Quique rigat nostri corporis ossa, sopor.
 Mox igitur tanta curarum mole solutus,
 Corpora do tepidis fessa leuanda toris.
 Dum iaceo blande victus gravitate quiescis,
 Nescio qua mentem cepit imago meam.
 Namq̄, videbatur mihi Mons, qui lucida cæli
 Lustrabat celsus vertice, signa, suo.
 Huius ego superans immensa cacumina victor,
 Stio procerum magnas (sic reor) ante fores.
 Marmoreis fuerant ibi structa palatia tignis,
 Qualia Mausoli regna fuisse putem.
 Artificis dextram structura venusta probabat,
 Nobile materies exuperabat opus.
 Ante fores varijs picturis ampla nitebat
 Regia, quas multas Itala terra facit.
 Et Parijs intus fuerat domus alta columnis,
 Quas procul aduectum condecorabat ebur.
 Tecta videbantur summos equantia cælos,
 Tecta locupletum more peracta Ducum.

Illā putabantur precioso mixta metallo,
Quale creat multa fertilitate Tagus.
Coralijs pulchris ornata fenestra nitebat,
Aulaq; præclaras significabat opes.
Tanta sub aurato pinnacula vertice stabant,
Quanta Semiramidos regna fuere domus.
Cingebat sepes è Cedro condita tectum,
Ex oleæ ramis ianua fortis erat.
Aspicimus tantas immoto lumine sedes,
Conspicuasq; domus ponimur ante fores.
Fissus erat rima paries, quam duxerat aula,
Cum foret artificis consolidata manu.
Hac ego prospicio, choream videoq; parari:
Tunc animum replent gaudia viua meum.
Virginei catus aderant, & honesta iuuentus,
Ingenuæ matres, purpureiq; senes.
Decipiebantur multis sermonibus hora,
Vox adèò turba blanda loquentis erat.
Et dextris dextras iungebat collaq; collis
Fœmina, cum caro consociata viro.
Qualia Gnosiace dedit oscula sæpè corona
Ogygius iuuenis: talia sæpè dabant.
Non dederat caræ Leander talia Sesta,
Hellestoniacas cum remearet aquas.
Percipiebantur mihi suauia verba loquentum,
Omnia quæ fuerant tincta lepore suo.
Talia Tyndaridi Priameius obtulit Heros,
Illius haud veritus sollicitare fidem.
Contemerare torum Menelai principis ausus,
Inclÿta cui Græci paruit ora soli.

Aëre

Aëre plena suas fundebat fistula voces,
Aëre plena dabat buccina leta sonos.
Fistula disparibus pulchrè compacta cicutis
Dicitur hanc quondam Pan habuisse Deus.
Buccina, caruleus qua per freta turbida Triton
Cantat, & aquoreas sistere cogit aquas.
Vidisses iuvenes in gyrum ducere sponsas,
Compserat has matrum sedula cura domi.
Conspiciebantur vestes bis murice tinctæ
Aptaq; fœmineo serica lana gregi.
Ingrediebatur Tirio spectabilis ostro
Ancillis virgo concomitata suis.
Id sola quondam pingebant pollice matres,
Ausonides etiam nunc didicere nurus.
Corporis ornatum miror, vestesq; superbas
Visaq; nuptiarum vultibus ora meis.
His facies inerat priscis aquanda Deabus,
Quas Helena raptor viderat ille Paris.
Siderei^{q;} faces equabant lumina cali,
Candida frons niuei fluminis instar erat.
Malaq; more rose tenere speciosa nitebat,
Non secus ac viuo tincta rubore foret.
Ora videbantur mihi sicut sanguinis essent,
Colla relucebant candidiora niue.
Colla procul gratam de se spargentia formam,
Quam nitidum pulcro lumine monstrat ebur.
Lilia ccu rident campi, viola^{q;} nitescunt,
Quas rigat è cali qui venit arce liquor.
Brachia, sed pulchrum referebant blanda nitorem:
Talia lunonis credimus esse Deæ.

B 3

Qua-

Qualis Acidalio sub corde papilla tumescit
In quauis etiam virgine talis erat.
Pulchra puellares ornabant Serta capillos,
Qualia vel Pallas crinibus ipsa gerit.
Gemma sed articulos graciles preciosa premebat,
Quam generat caris India clara vadis.
Cum Theridos pedibus certabant crura puella,
Cerulei lymphis splendidiora freti.
Aequorea si non superant Nereidos artus,
Exequare tamen crura colore queunt.
Talis amictus erat nuptiarum, gloria talis
Virginei catus, gratia talis erat.
Crinis & ut fuerat nodis interlitus auri,
Monstrabatq; tuas Cypria Diua comas:
Sic caput aurata cingebant suauae corona,
Virginea ducta mobilis arte manus.
Gentiliq; satas illas de gente putabam
Indiciumq; mihi splendida fila dabant.
Ornatiq; senes, ordoq; virilis in huius
Parte morabatur splendidiore domus.
Stabat in aurato circumdata stamine pubes,
Aemula vel prisco nobilitate Duci.
Sidonio fuerant circumdata pectora cultu
Pingere quale solet Belgica mater actus.
Alter Idaspeis gemmis ornatio ibat,
Iste peregrino stamine clarus erat.
Alter erat vestes argenteus, aureus alter
Cingebat multis pulchra corona comam.
Cingulus obryzo circumlitus are, venustus
Per medios lumbos conspiciendus erat.

Pugio

Pugio gestarum calatus imagine rerum
Ornabat vinclo nobiliore latus.
Post gladius splendens auro, clarusq; metallo
Harebat cruri proximitate Ducis.
Et fuerat bysso preciosa splendida vestis
Oblita, velandos quæ regit apta pedes.
Hoc incedebant ornati stamine reges
Talis in ornatu gratia vestis erat.
Omnia cum vidi tetigerunt gaudia mentem
Formaq; pectoribus non fugitura meis:
Tunc aliquis cernens ornata corpora plebis
Agminis optaret nobilis esse comes.
Famineosq; sibi peteret per fœdera vultus,
Et cuperet tanto posse placere gregi.
Ante fores equidem submissis auribus asto,
Ac medium cupio plebis adire torum.
Et mecum: ceriè sors est tentanda: quid obstat
Cur minus ingrediar splendida tecta domus?
Audaces Fortuna iuuat, sors adiuuat illos,
Qui subeunt casus laudis amore graues.
Forte puer vinum dum ferret amabile mensis,
Splendida non rursus ianua clausa fuit,
Ingrediens medium plebis ruiturus in agmen
Omneq; visurus, quicquid inesset, eram.
Gentibus innumeris nisi regia plena fuisset
Sed tacito placuit delituisse loco.
Tum vero video constructas ordine mensas
Et positos cultu diuite cerno foros.
Splendida magnificis erat aula tapetibus intus
Quas acus Ausonia pinxerat apta nurus.

Vastus

Vastus imaginibus paries insignibus aula
In tota passim sede videndus erat.
Præcipuè longa referebat origine: summo
Condita seu fuerant cuncta iubente Deo,
Iusserit ut pelagus spaciosas cingere terras
Quod mouet irati vis violenta Noti:
Immineat veluti super Orbem vastus Olympus
Qui stellis pictus sideribusq; nitet.
Ut quoque componens de terra puluere corpus
Noticias homini iusserit esse suas.
Utq; Gigas ausus fuerit supponere montes
Montibus, & summum sollicitare Iouem.
Rexerit ut patrios proles Clymeneia cursus,
Vnde ferè tellus tota cremata fuit,
Ipseq; sit Phaëthon violento fulmine stratus
Orbis in immensas præcipitatus aquas.
Liriope veluti natus flos crescat in aruis
Et Nymphæ pueri funera mæsta fleant.
Gorgona ceu Perseus superauit anguis habentem
Quas nequeant hominum lumina ferre, comas.
Membraq; duruerint post corpora visa Medusæ
Acrisoniade colla tenente manu.
Ut fuerit conquesta suum Dea Cypris Adonin,
Qui modo purpureo flore per arua nitet.
Præterea tabula prælustria facta recensent
Et benè res gestas Bellerophontis habent.
Cui dedit auratos Pallas Tritonia frenos,
Ac valido fortem robore iunxit equum.
Vfus & his Diuum donis Ephyræius Heros
Sapius oblato victor in hoste fuit.

Sed in-

Sed iuuenem dubia successu sortis ouantem,
Iuppiter in latam præcipitavit humum.
Nam cælos etiam voluit penetrare profundos
Quod iuueni mæsta moris origo fuit:
Insuper urgentem blandam Chelyn Orphea cerno
Qui repetit nuptiam per stygos antra suam.
Euridicen canit, Euridicen vocat, omnibus horis
Bistonie tangens fila sonora lyra.
Dumq̄ fides habili contingit pollice tensas
Cantor, apud manes infera monstra stupent.
Cerberus ore silet canis & iria guttura claudit.
Cuncta silent, oculos optat habere Deus.
Ille Deus cui regna Stygos, cui Tartara parent
Sulphureoq̄ niger cinctus odore lacus.
Adde quod in syluis dum vixit Thracius Orpheus
Mulsit amabilibus robora vasta sonis.
Dum canit ad numeros accurrunt agmine longo
Bruta, sub amotis viuere sueta locis.
Pars subit una pedes, pars altera tergora, parsq̄
Sistitur ad dextrum, mota lepore, latus.
Proximus Amphion stabat Ciitharamq̄ tenebat,
Mulcebatq̄ lyra dulce sonante feras.
Dum modulabatur blandum testudine carmen,
Obstupuit sonitu terra propinqua chelys
Accelerant lapides noua fundamenta locantes,
Et validos muros fortia saxa struunt.
E regione fuit longomare iramite pictum,
Stabat in hoc pulcro picta colore ratis
Illa Cataphrattos, equitumq̄ vehebat aceruum
Armaq̄ militia tempore sueta geri.

C

In me-

In medio citharam plectrumq; gerebat Arion
In pelagi tumidas proijciendus aquas.
Aequoreas cantor dum precipitatur in undas
Artifici citharæ pollice fila quatit.
Dum quatit, occurrit Delphinus & excipit illum,
Inq; suo tergo per freta celsa vehit.
Deniq; contueor repleta palatia poclis
Attalicosq; cados, Mentoreosq; scyphos.
Casareis fuerat thesauris amula sedes,
Regia magnificis condecorata bonis.
Massica vina toros onerabant ordine structos
Factaq; sylvestris fercula carne fera.
Non deerant cocti pisces apteq; peracti,
Teutona quos didicit docta parare manus.
Nectareos tellus de se spirabat odores:
Nam fuerat pulchris regia plena rosis.
Purpureas violas & candida lilia passim
Conspiceres media strata iacere domo.
Præ reliquis verò medio Libanotis in aula
Sripabat dulci suavis odore comas.
Nardus amabilibus fragrabat crinibus inuis
Nardus Acidalijs consociata rosis.
Indeq; celestis surgebat in aëra nidor
Egregia replens limina pulchra domus.
In medio mensæ reges diademate cincti
Pocula sumebant multiplicisq; dapes.
Non aberant manibus rudentes organa doctis,
Nablaq; celestem facta sonare Deum.
Erga conuiuas lato sermone vocatos
Ethnica seruitij turba subibat opus,

Magnus

Magnus habebatur cunctis honor, omnibus aequè
Gratia pro merito iusta relata fuit.
Sublataq; fame dapibus, mensisq; remotis
Surgebant Proceres conspicuq; Duces.
Atq; parabantur, me conspiciente, chorea,
Blandaq; clangebat pollice tacta chelys.
Sumebant pulcras matres, timidasq; puellas
Magnanimi iuuenes, eximiq; senes.
Inq; modum gyri ducebant corpora lati
Corpora non unum testificata decus.
Organa clangebant, volucrum referentia cantum
Quando melos dulci gutture dulce cient.
Melleq; vox melior veniebat ab ore canentis
Angelicos referens vox repetita sonos.
Aurati stabant equites, hastasq; tenebant
Et comites aderant egregiq; Duces.
Hi luctabantur parmas peltasq; gerentes,
Miscentes toto praelia multa die.
Ingrediebantur velati corpora plures
Illorum vultus non mihi notus erat.
Nam cernebatur facies circumdata fuco,
Nec ducibus species omnibus una fuit.
Italico plures agitabant more choreas
Arbitror Italica posteritate satos.
Approperant multo cataphratti milite cincti
His quoq; ludorum non color unus erat.
Nam validis multi vibrabant spicula dextris
Spicula qua belli tempore dextra gerit.
Et gladiabantur, magnoq; fragore premebant
Fortia victrici tela retenta manu.

*Armorum sonitus medio surgebat in aula,
Et strepitus turbae congregantis erat.
Aspicio latus vultu certamina lato
Cernoq; pectoribus gaudia fusa meis.
Istaq; dum fiunt totam cernenda per aulam
Laticia vacant femina virg; sua.
ECCE venit medium subito MORS tristis ad agmen
Totius & tollit gaudia lata domus.
Concaua pendebant vix ossibus ossa, videndum
Vix ibi corpus erat, non erat vlla caro.
Ossa videbantur tantum connexa decenter
Ipsa quibus iussas posset inire vias.
Curuatam manibus falcem Mors mæsta tenebat,
Impediens reditu prandia tota suo.
Aspiciens toruum cunctos violenta metebat,
Improba cui vellet parcere nullus erat.
Aspiceres alios sua tundere pectora dextris
Aspiceres alios vertere terga fuga.
Aspiceres alios terram mordere cadentes
Aspiceres alios succubuisse neci.
Omnibus extemplo fugiebat in aëra Flatus
Causaq;, continuo cur moreretur erat.
Virg; solet Leo Getulis qui vallibus errat.
Oblatam miserè dilacerare feram.
Quando fames stimulat ieiunum pessima ventrem,
Et furit in sicco gutture praua sitis.
Sub pedibus fera mæsta iacet, vix lumina tollit,
Et mortem vultus conspicit ante suos.
Iste cruentatis pedibus Leo saltat in illam,
Perdit & horrida membra subacta nece:*


Sic quo-

Sic quoq; mors medium plebis grassata per agmen,
 Ipsa pari cunctos conditione rapit.
 Undiq; conspicitur luctus, sonat undiq; luctus,
 Qui rigidae possit corda mouere fera.
 Vnanimis omnes ulularibus atria replent,
 Tempore, seq; dolent, occubuisse breui.
 Praecipue matres mæste trepidaq; puella
 Edebant questus corde dolente graues.
 Hei mihi quam subito decor oris in ore peribat,
 Non ibi tunc aderat, qui fuit ante, color.
 Proderat ornatus nihil, omnes falce necabat
 Mors nihili formam quæ violenta facit.
 Defunctos vita Mors egerat instar acerui
 Cum nimio crines diriguere metu.
 Ausugiturus ego conspecta cadauera linquo,
 Et subeo terras poplite lapsus humi.
 Et mea mærenis fugiens sopor ossa reliquit:
 Salsus at in toto corpore sudor erat.
 Tunc mecum: Monstrant humane somnia vita
 Gaudia, quæ stultus mundus amare solet.
 Orbis enim splendor mox & peritura voluptas
 Omnia casuri graminis instar habent.
 Gloria nostra perit, veluti flos rore rigatus
 Cum Boreæ spirat vis truculenta, cadit.
 Et rosa ceu vernans redimita coloribus apertis
 Mane nitet, languet vespere, nocte perit:
 Sic quoq; nostra ruit subito fugitura potestas
 Qua tamen haud aliud carius orbis habet.
 Omnis honos populiq; fauor, mundi q; voluptas
 Quæ venit ante diem, disperit ante diem.

*Cuncta rotat, dubio versat Sors omnia gyro
Inq, Dei forti sunt sita cuncta manu.
Accrescunt hodie magni bona splendida mundi
Cras simul, ad Dominum non reditura cadent.
Quamlibet assurgant tibi pleno pectora fastu,
Cras tamen hac viridi tota teguntur humo.
Quicquid & humanis circumdat carnibus artus,
Aut citò vel tardè morte volente, cadet.
Et terra nostrum mortales duximus ortum
Nos, ubi fata volent mitia, terra reget.
Non alicui parcat Mors legibus abripit equis
Cum pueris iuvenes cum senibusq, viros.
Non igitur captes subito fugitura, nec illis
Fide, sed ad cæli dirige corda viam.
Gaudia totius mundi ceu somnia cedunt,
Gaudia sed cæli non ruitura manent.
Viue memor cæli, brevis est hac gloria terris
Quicquid agis, Christum respice, saluus eris.*

F I N I S.






Handwritten mark or signature

Cl. Boh. 8049

[Faint handwritten text and musical notation]

Hist. 8049



M
A

EL
DE FRA
RERV ET
HV
ITATE
PTATVM



Aerule
Ign
Lunag
Prod
Cum solitum reperens cu
Pieridas reuoco sub
Qua musco cinctus gra
Neuela, piscoso vo
Et regis Arctoas, Hene
Bucephali in Clype
Cumq; dabam Musis op
Mentibus occurrunt
Qua Doctore Paro didi
A Duce qua CRA
Cum faceret studijs Re
In quo IAGEL
Tunc animo voluens
Cogito natura para
Quid fremius tristes i
Horrida quid mult
An subeant terras to
Quid generet lon

ndere Teibhos un
ncipiebat equos,
mens de lumine lu
nsficienda rotis:
aborem,
as.
s vluis
quas,
tus vrbes
nigri.
vacabam,
neis.
s in vrbe,
omen habet,
a, finem
rpis habet.
era Phæbi
a gignat,
e creet:
e stelle,
yna trabis.

B Vnde

